



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Consensus Veteris Et Moderni Papatus**

**Reck, Johann von der  
Monasterii Westphaliæ, 1722**

§ 2dus. Motivum secundum.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-68472](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-68472)

## § 2dus.

*Motivum secundum.*

Quia alienissimum à vero est, quod Novatores docent, Scripturam sacram in omnibus articulis Fidei claram & evidentem esse.

**L**utherani, Reformati, & alii Novatores passim clamitant, Scripturam sacram in articulis fidei ad salutem necessariis tantæ claritatis esse, ut nemini difficile sit, illius sensum & intelligentiam legendo & inspiciendo assequi. Hoc autem quàm alienum à vero sit, quis non videt, nisi mente ac sensu careat? Si enim Literæ sacræ tantam ubique evidentiam præ se ferant; cur igitur inter partes hinc inde dissidentes tam infinitæ altercationes & jurgia de vero sinceróque earum sensu? cur una pars tam abominandas hæreses, errores, hallucinationes appingit alteri, & idcirco eam condemnat, Anathematizat,

zat,

zat, execratur? cur Prædicantes  
A catholici tam innumeris explana-  
tionum & commentariorum lucubra-  
tionibus vulgus indoctum obruunt,  
& fatigant lacerantque semet ipsos?  
cur non potius è Scripturis iudicio  
suo tam evidentibus breve compen-  
dium extrahunt omnium credendo-  
rum, cui omnes A catholici ubivis  
acquiescere, & unanmem consensum  
in cunctis urbibus ac Provinciis suis  
præbere debeant?

Operæ pretium non est in illa fal-  
sitate repudianda plus temporis & a-  
tramenti perdere. Inspiciat, cui lubet,  
historias primorum Ecclesiæ tempo-  
rum, quæ ferè nunquam ab assiduis  
diversissimisque hæreticorum impu-  
gnationibus fuere libera. Cogitet Ar-  
rium, Nestorium, Eutychetem, Di-  
oscorum, Paulum Samosatenum, Pe-  
lagium & alios longè plurimos: quis-  
quàmne fuit istorum omnium, qui  
hæreticum virus suum non deprom-  
pserit ex aliquo scripturæ loco malè  
ac

ac perperam intellectu? Et quomodo potuerunt eam tam sinistro sensu in suos errores trahere, si tam clara & perspicua sit ubique, ut interprete vel explicatore probo nusquam egeat? Aliud certè iudicium fuit B. Petri Apostolorum Principis: nam 2. Petr. 3. v. 16. apertissimè confitetur in epistolis B. Pauli Coapostoli sui esse *quedam difficilia intellectu, quæ indocti & instabiles depravant, sicut & cæteras scripturas ad suam ipsorum perditionem.*

Ecce! ut supremus iste Apostolus plura in iisdem literis affirmat esse obscura ac difficilia intellectu? cùm contra Lutheranus aliquis aut Calvinista prædicans ausit dicere in rebus Fidei nihil in iisdem literis obscurum ac minùs perspicuum esse: utri credemus?

Eadem difficultas etiam reperitur in scripturis cæteris, quarum explicatio si cuilibet adeò expedita sit, uti prætenditur ab adversariis; quò tandem fieri potuit, ut errores hæreses-  
que

que tam innumeras Christianus orbis hucusque viderit? Ecce! hæc pauca verba Matth. 26. *Accipite & comedite, hoc est corpus meum*: quid illis clarius, magisque ad æternam salutem faciens? & tamen in iis, explicandis dicam, an distorquendis? quanta librorum & commentariorum plaustra intra centum & ampliùs annos ab istis Novatoribus protrusa sunt, in quibus alter ab altero gravissimè dissidet, & alios ex aliis errores flectit? Neque id mirum sanè: cùm enim totus ille sectariorum grex visibili in terris capite destitutus sit, neque certum agnoscat Judicem, qui de hujusmodi controversiis infallibile iudicium ferat; necesse est, ut innumeræ nascantur hæreses: dum pro suo quisque cerebro suam sibi doctrinam è Scripturis malè perceptis fabricat, neque ad certam aliquam docendi & explicandi regulam se adstringi patitur, uti in sequenti motivo prolixius deducetur.

G